D

MORTE AC SEP

COMMENTATIO

IN GENES. XXXIV, 5. 6. ET

Q V

VIRO MA

SVMME VENERABILI

AMPLISSIMO ATQ

D. CAROLO C

TITTM

PROFESSORI IN ACADEMIA

FACVLT. THEOL. SENIORI SE

AD B. MARIAE PAST. CIRC.

SVMMO ALVMNOR.

AVSPICIA NO

GRATVL

M. HENRICVS GOT

SS. THEOL. BACCAL. ET OR

M. IOANNES GOT

THEOL. BACCAL. ET O

M. IOANNES GOT

ACAD. BIB

M. AVGVSTVS GOT

REV. MINIS

DE

SEPVLTVRA MOSIS

ATIO PHILOLOGICA

5. 6. ET EPIST. IVDAE VERS. 9.

QVA

MAGNIFICO

ABILI EXCELLENTISSIMO

O ATQVE DOCTISSIMO

O CHRISTIANO

TMANNO

DEMIA VITEBERGENSI PVBLICO

IORI SENATVS S. ELECT. ASSESS.

CIRC. ELECT. SAX. ANTISTITI

MNOR. ELECT. EPHORO

NOVI MVNERIS

RATVLANTVR

S GOTTHILFF OERTEL

. ET ORD. PHILOS. ASSESS. ORD.

S GOTTLIEB DRASDO

. ET ORD. PHILOS. ADI. ORD.

S GOTTHELFF LAVRO

D. BIBLIOTHEC.

GOTTLOB GLASEWALD

MINIST. CANDID.

VIR MAGNIFICE
SVMME VENERABILIS
AMPLISSIME DOCTISSIME
PATRONE OPTIME

In tanta huius diei ſollemnitate, qua noua eaque grauiſſima et ſplendidiſſima in hac Academia ſuſceptum iuiſti munera, quorum auſpicium TIBI *gratulantur non tantum laetiſſimi noſtrae vrbis et Academiae ciues, ſed etiam omnes, qui coetui chriſtiano et bonis literis bene cupiunt, en etiam nos, et communi omnium laetitia, et beneficiis, quibus* TIBI *prae caeteris tenemur obſtricti, ad nouos honores* TIBI *congratulandum excitatos. Etenim ab eo inde tempore, ex quo in hac Academia ſtudia tractare coepimus,* TV *non tantum diſciplinae* TVAE *ſalubritate ac elegantia animum noſtrum fideliter aluiſti et ſapienter formaſti, ſed tantam etiam rerum noſtrarum ſemper geſſiſti curam, vt* TV *inter praecipuos ſalutis noſtrae auctores, a diuina prouidentia benigne nobis conceſſos, merito ſis numerandus. Quid laetius igitur nobis accidere potuiſſet ac exoptatius hodierno die, quo* TE *nouae dignitatis ſplendore in hac Academia videmus ornatum? Quam quidem laetitiam, intimis medullis incluſam, omninoque noſtram in* TE *pietatem, quam animus noſter iam diu geſtit publico aliquo documento et* TIBI *et aliis probare, per huius diei opportunitatem expromere ac in lucem omni-*

bus proferre voluimus hacce ſcriptiuncula, leui illa quidem nec vlla dote ſua commendabili, ſed fideliſſima noſtrae in TE *pietatis et grati animi teſte. Dulciſſima nobis abblanditur ſpes, fore vt pro* TVA *humanitate ac indulgentia hoc quidquid eſt opellae beneuole accipias, et noſtra, quam hoc modo* TIBI *declarare cupimus, pietas* TIBI *non diſpliceat. Precibus vero Deum O. M. non tantum hodie, ſed per omnem vitam noſtram imploramus aſſiduis, vt* TE *omni, quae in his terris abſoluta putatur et maxime expetenda, vitae beatitate ac hilaritate ſemper frui ſinat* TE*que Eccleſiae, literis, bonis omnibus, nobis denique diutiſſime ſuperſtitem eſſe iubeat. Augeat* TIBI *corporis vires et ſemper* TE *vegetum praeſtet ac incolumem, vt grauiſſimis noui muneris laboribus ac negotiis hilari animo poſſis perfungi. Coeptis* TVIS *ſucceſſus annuat proſperrimos et omnia, quae in pectore habes, vota largiſſime expleat. Ecquid enim* TV *praeter id, quod bonum, quod honeſtum, quod coetui chriſtiano eſt ſalubre, cupere ac deſiderare potes? — Nos vero eadem pietate, qua ad officium noſtrum* TIBI *hodie praeſtandum ſumus impulſi, precibus rogamus obſeruantiſſimis, vt etiam in poſterum patrocinio* TVO *habeas commendatiſſimos*

NOMINI TVO MAGNIFICO

addictos deditosque

M. HENRICVM GOTTH. OERTEL
M. IOANN. GOTTLIEB DRASDO
M. IOANNEM GOTTHELF LAVRO
M. AVG. GOTTLOB GLASEWALD

Scribeb. Vitebergae
Feſto Purificat. Mariae
cIↄIↄ CCLXXXIV.

Iudaeorum ſcripta inprimis antiquiorum etſi non parum vtilitatis afferunt Scripturarum S. interpreti, cum in verborum intellectu adiuuando, tum in illuſtrandis ritibus, moribus et opinionibus, ad quas ſaepe ſcriptores diuini alludunt, nemo tamen, qui vel leuiter ea inſpexerit, ignorabit temeritatem ac fingendi libidinem, qua eorum auctores, a bonis artibus et literarum elegantia non inſtructi, multas excogitarunt interpretationes inſulſas et a verborum ſignificatu alienas. Quam quidem eorum vanitatem cum ſaepiſſime intellexi in Pentateucho, cuius lectionem nuper abſolui, tum nuſpiam magis eam miratus ſum, quam in vltima eius pericopa, quae *de Moſis obitu ac ſepultura* exponit. Haec enim narratio quamquam verbis concepta legitur ſatis perſpicuis, dici tamen vix poteſt, quam ineptis ac futilibus fabulis ab eis aucta ſit ac propemodum inuoluta. Alii enim Moſen prae nimio, quem ei habebant, honore a morte plane immunem fuiſſe ſomniabant et viuum in coe-

lum translatum; alii inter amplexus et Dei oſcula eum occubuiſſe comminiſcebantur; alii eodem modo, quo reliqui homines, eum profitebantur e vita migraſſe, ſed ſepultum fingebant eum modo peculiari vel ab ipſo Deo, vel angelorum opera. Haec quidem aliaque commenta, inculto Iudaeorum ingenio excogitata, cum et teſtimoniis deſtituta reperiantur idoneis, et iis, quae libri diuini de Moſis deceſſu tradunt, veluti e diametro ſint oppoſita, operae pretium facturus mihi non videretur, qui pluribus ea refutare ſuſciperet, niſi multos e Chriſtianis doctoribus viderem lepida hac Iudaeorum cantilena ſibi paſſos eſſe imponi. Eo incautius vero noſtri homines fidem in hac re habebant fabellis Iudaicis, quo certius eas putabant ipſo Apoſtoli teſtimonio in N. T., *Iudae* nimirum Ep. v. 9. confirmari. Vtrumque igitur et V. et N. T. locum, e quibus vnice haec res eſt diiudicanda, laetiſſimo hoc ſcriptionis officio mihi iniuncto, animus iam eſt paullo accuratius excutere.

Nihil in diuino Codice legi poteſt apertius et intellectu facilius, quam quod de Moſis obitu in fine Commentariorum eius claris ac perſpicuis verbis exponitur. Moſes enim, poſtquam, ſummo montis Nebuntis iugo conſcenſo, terram, ſuae genti promiſſam, oculis e longinquo luſtrauerat, diſertis verbis mortem ibidem obiiſſe legitur *Deut.* XXXIV, 5. 6. coll. XXXII, 50. et *Num.* XXXI, 16. Ineptit igitur IOSEPHUS, qui Moſem, quem negat mortem oppetiiſſe, in monte Abari, repentina luce circumfuſum, in vallem quandam ablatum fuiſſe refert.[a]) Hanc vero

[a]) IOSEPHI Archaeolog. L. IV. c. 8. n. 48. verba ſunt haec: Μόνη δ' ἡ γερουσία προὔπεμψεν αὐτὸν, καὶ ὁ ἀρχιερεὺς Ἐλεάζαρος καὶ ὁ στρατηγὸς Ἰησοῦς. Ὡς δ' ἐπὶ τῷ ὄρει τῷ Ἀβαρεῖ καλουμένῳ ἐγένετο, — ἀπέπεμπε τὴν γερουσίαν. Ἀσπασομένου δὲ καὶ τὸν Ἐλεάζαρον αὐτοῦ καὶ Ἰησοῦν

vero de perpetua Mosis vita sententiam, licet disertis Scripturae verbis aduersam, e Patribus amplexi sunt HILARIVS,[b]) AMBROSIVS,[c]) HIERONYMVS,[d]) ISIDORVS HISP.[e]) alii. על פי יהוה alii cum Vulg. reddunt *iubente Ioua*, alii *vti Ioua praedixerat*. Vtrumque et vsui loquendi et orationis contexto apprime conuenit. Videtur vero praeterea haec formula innuere, Mosen non morbo aut doloribus senioque confectum e vita migrasse, sed morte repentina, qualis esse solet eorum, qui ad extremam senectutem prouecti integras habent corporis vires neque membrorum sensuumque vigorem amiserunt, quod de Mose narratur, v. 7. Hebraei enim si quid accidisse vident paullo insolentius, id ab immediata Dei virtute ac voluntate solent repetere, de qua quidem loquendi consuetudine alio tempore copiosius disputare constitui. Sepulturam ducis Hebraeorum plerique interpretes, a Iudaeis delusi, magno consensu Deo tribuunt, quem putant, vel immediata sua vi, vel angelorum ministerio vsum, in abdito vallis loco exanime corpus condidisse. Hanc sententiam ita confirmare student, vt prouocent ad vocabulum יהוה, quod proxime praecedit verbo יקבר, quae ratio profecto est fallacissima, cum Hebraei saepissime vocabula in vnam seriem connectant, quae tamen referenda sunt ad diuersa subiecta. Hinc multo re-

Ἰησοῦν, καὶ πρόσομιλοῦντος αὐτοῖς ἔτι, νέφους ἀφνίδιον ὑπὲρ αὐτοῦ στάντος, ἀφανίζεται κατά τινος φάραγγος. Γέγραφε δ' αὐτὸν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις τεθνεῶτα, δείσας μὴ δι' ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς πρὸς τὸ θεῖον αὐτὸν ἀναχωρῆσαι τολμήσωσιν εἰπεῖν.

b) HILARIVS *in Matthaeum* C. XX, n. 10.

c) AMBROSIVS in libro de Cain et Abel L. I. n. 8.

d) HIERON. *in Amos*. c. 8.

e) ISIDORVS HISP. de vita et morte cet.

ctius et analogiae Grammaticae conuenientius formula ויקבר אתו redditur imperſonaliter *man begrub ihn*, quomodo aliis in locis ab ipſo Luthero reddita legitur, v. c. 2 *Reg.* XXI, 26. coll. XV, 7. Nam verba tertiae perſonae maſculina, tam ſingularia, quam pluralia, per ellipſin nominis איש et אנשים ſaepe vſum accipiunt imperſonalem, quo poſſunt ſubinde per noſtrum paſſiuum reſolui.[f]) Et ſic ex antiquis interpretibus locum noſtrum iam intellexerunt Alexandrini, qui reddunt κ. ἔθαψαν αὐτὸν. Propterea in MASII ſententiam deſcendere nullus dubito, qui exiſtimat, ab Eleazaro, Ioſua et aliis, qui praeſto adfuerint morienti, ſeorſim a plebe Moſen fuiſſe humatum, qui cum, Deo ita volente, ſepulcrum eius caeteris non indicarent, a nemine id poſtea conſpectum fuit ac cognitum, quemadmodum in eodem verſu legitur. Ex formula adiecta עד היום הזה luculenter intelligitur, caput noſtrum non Moſis manu eſſe exaratum, ſed aliquot annis poſt eius obitum a Ioſua vel alio eius amico Commentariis eius, veluti auctarii loco, eſſe additum, ita vt formulae ſenſus ſit hic: quamquam a morte Moſis plures iam anni ſunt praeterlapſi, tamen nemini locus, vbi oſſa eius iacent ſepulta, certo innotuit, cuius rei cauſſam CLERICVS in eo fuiſſe autumat, quoniam in eius ſepulcro nullum monimentum, ex more illorum temporum, fuiſſet excitatum. Ita de hoc Cap. iam ſtatuit MVNSTER et noſtro tempore eodem modo de eo ſentire video *Ill.* MICHAELEM[g]) et *Exc.* EICHHORN.[h]) Locus,

f) Exempla huius vſus in Scriptnris extant innumera, v. c. *Gen.* XLVIII, 1. ויאמר ליוסף, *nunciatum eſt Ioſepho*, C. XXV, 30. קרא, *vocatum eſt nomen eius Edom.* C. II, 20. *non inuentum eſt ipſi auxilium.*

g) In Annotatt. ad verſionem german. in hoc. Cap.

h) In libro *Einleitung ins alte Teſtament.* P. II. p. 423.

cus, vbi Deus ſepeliendum curauit ducem Iſraelitarum per eius amicos,* triplici modo deſignatur. בגי, quod primum hic narratur eius indicium, fere omnes cum Vulg. reddunt *in valle* praeter τὲς ό, qui vocem גי, tanquam proprium eſſet nomen loci, integrum hic reliquerunt, cui quidem ſententiae fauet *Num.* XXI, 20. בית פעור, e cuius regione Moſis oſſa cubare dicuntur, erat fanum, in terra Moabitica conditum, in quo Peor, idolum Ammonitarum, ſolebat coli.[i]) Vtrumque et hoc et prius loci indicium iuncta reperiuntur C. III, 29. Ex his igitur in promtu eſt, hancce narrationem, ex qua, vtpote vetuſtiſſima, hiſtoria de vitae, a Moſe in his terris actae, exitu, veluti e fonte vnice eſt petenda, tam parum eſſe impeditam verborum obſcuritate, vt neſciam, quid vſpiam reperiri poſſit planius atque ſimplicius.

Sed longe aliter iudicandum eſt de altero, qui huc refertur, ex *Ep. Iudae* loco, qui tam obſcurus et tot tantisque difficultatibus impeditus eſt ac veluti obſeptus, vt eius explicatio omni tempore non parum excruciauerit interpretes doctiſſimos. Apoſtolus nimirum v. 8. et 9. eſt in eo, vt oſtendat, quantum crimen illi committant, qui praefectos ſuos et in dignitate conſtitutos adſpernentur et in eos, quibus reuerentiam debent, maledicta non vereantur congerere. In hanc rem eis proponit exemplum Michaelis imitandum, qui, cum ei diſceptatio eſſet cum diabolo de corpore Moſis, tamen reueritus eſt notam maledicti principi daemonum impingere. Ex quo quidem ſummo modeſtiae ac reuerentiae exemplo colligi vult hoc: Si Michaeli, archange-

i) Qui plura de *Beth Peor* cognoſcere cupit, adeat MASIVM *ad Ioſ.* XIII, 20. Formam nominis illuſtrat SIMONIS *in Onomaſtico* p. 89.

angelo, religio fuit, palam dicere diabolo conuicium, quanto atrocius crimen committunt, qui viros, auctoritate dignitateque praeeminentes, maledictis lacessere non verentur? Maximam in hoc commate difficultatem creare litem, quam diabolus hic Michaeli de corpore Mosis mouisse legitur, quis est, qui, sponte non intelligat? Inprimis verba περὶ τοῦ Μωσέως σώματος, e quibus pendet totius commatis interpretatio, distraxisse video ingenia interpretum in diuersissimas sententias, quae, licet non immerito innumeras dixerit aliquis, commode tamen dispesci possunt in classes duas. Prima est earum, in quibus σῶμα Μωσέως metaphorice ac allegorice sumitur adeoque locus noster non de certamine inter Michaelem et diabolum explicatur, sed de re inter homines gesta, quae gratis allegoriae vmbris inuoluta more Iudaico proponeretur. Hanc sententiam prae caeteris exornauit H. B. STARKIVS *in notis selectis* p. 159. vbi per σῶμα Μωσέως non proprium ac physicum Mosis corpus intelligendum esse contendit, sed figuratum ac politicum, Israelitarum nempe gentem ac rem publicam, quae eodem modo, quo coetus Christianorum saepe appellatur *corpus Christi*, hic nomine *corporis Mosis* insigniretur. De huius vero salute contendisse inter se censet non Michaelem et diabolum, sed Serubabelem, cui, vtpote gentis suae principi, nomen tribueretur ἀρχαγγέλου, et Iudaeorum apud regem Persarum aduersarios, qui vrbis templique restaurationem impedire omni modo studebant. Quorum quidem conatibus cum Serubabel vna cum suis non vi restitisset, sed argumentis dictisque mitissimis, nec conuicia et blasphemias in eos coniecisset, (*coll. Esr. V.*) propterea commendatam esse ab Apostolo eorum modestiam Christianis imitandam, formula ex

Zach.

Zach. III, 1. 2. vbi de iisdem Iudaeorum aduerſariis ſermo eſſet, petita.

Haec vero allegorica explicatio mihi tam parum probatur, vt dubitem, an reperiri poſſit alia huius dicti enarratio violentior atque contortior. Nam, vt alia ſilentio transmittam, quid magis ab vſu loquendi Hebraeorum abhorret, quam per Michaelem, ἀρχαγγέλου nomine deſignatum, intelligere principem humanum, Serubabelem, quem extundere volunt ex viſo Zachariae prophetico, in quo nullum eius apparet veſtigium. Non melius, ſed adhuc infelicius rem mihi gerere videntur illi, qui, allegoricae interpretationis amantes, per σῶμα Μωσέως nunc ſcriptorum eius ſyntagma, nunc vmbras leuiticas, nunc quiduis aliud intelligunt, vti per Michaelem, angelum modo creatum, modo increatum, quo ſuo diſſenſu ſatis produnt, allegoria in hoc loco tuenda malam ſibi cauſam fuiſſe ſuſceptam.

Hinc altera interpretum caterua, eaque longe copioſior, miſſis allegoriarum figmentis, literali verborum ſenſu inhaerere tutius arbitratur adeoque in formula controuerſa agnoſcit cadauer Moſis, proprie ſic dictum. Id quidem, dicunt cum *Grotio*, quem hic veluti anteſignanum ſequuntur, cum Deus noluiſſet a popularibus ſepeliri, ne forte ſic ad idolatriam allicerentur Iſraelitae, ſepulturam eius ab angelis eorumque principe, Michaele, curaſſe adornandam. Sed diabolus cum in apertum proferre conaretur Iſraelitis cadauer peſſimo conſilio, ortam eſſe inter angelorum duces diſceptationem, in qua Michael eximiam erga aduerſarium ſuum probaſſet modeſtiam.

Huius vero explicationis defenſores quoniam in literis diuinis vident, nuspiam de hac controuerſia, ab angelis diſceptata, legi aliquid memoriae proditum, rurſus in diuerſas partes

 abeunt,

abeunt, cum alii putent, Apostolo rem innotuisse per inspirationem diuinam, alii eam vel ex traditione fuisse haustam, vel ex libro apocrypho, cuius titulum faciunt ἀνάληψις Μωσέως, *de assumtione Mosis*, huc esse translatam. In hac vero causa cum facile appareat opus non esse confugere ad inspirationem diuinam, et testimonia, quibus traditionem defendere student, e scriptis Iudaeorum recentioribus sint petita,[k]) non pauci cum ex antiquis, tum recentioribus interpretibus fontem, ex quo manauerit haec narratio, fuisse autumant librum apocryphum. Et profecto hanc sententiam non parum confirmare videntur diserta Patrum testimonia, in quibus Origenis est luculentissimum et maxima fide dignum.[l]) Extat vero adhuc libellus Iudaicus, inscriptus, פטירת משה, *de obitu Mosis*,[m]) quem multi eundem esse censent cum libro, ab Origene ac Patribus laudato sub

[k]) Leguntur haec testimonia congesta apud SCHOETTGENIVM *in horis hebr*. p. 251.

[l]) Verba, quae huc pertinent, apud ORIGENEM extant in L. III. περὶ ἀρχῶν, c. 2. quae *Rufinus* sic reddit: *Primo quidem vt in Genesi serpens Euam seduxisse describitur, de quo in Adscensione Moysis, cuius libelli meminit in Epistola sua Apostolus Iudas, Michael Archangelus cum diabolo dispntans de corpore Moysis, ait, diabolo inspiratum serpentem causam extitisse praeuaricationis Adae et Euae.* Reliqua testimonia ex CLEMENTE ALEXANDR., *Actis Synodi I. Nicaenae*, Euodio, Didymo et Oecumenio congessit FABRICIVS *in Codice Pseudepigrapho V. T. p.* 833.

[m]) Duplicem huius libri textum habemus, qui non parum inter se discrepant. Alter reperitur in collectione scriptorum, quae titulum habet: דברי הימים של משה, *res gestae Mosis*, Constantinop. 1518. et Venet. 1544. Alterum ex MStis edidit cum versione textus vtriusque ac notis illustrauit GILB. GAVLMYN, Molinensis, sub titulo: דברי הימים ופטירת של משה Paris. 1629. Cuius libelli, rarioris nimirum tempore sequiori, versionem lat. cum notis Gaulmynianis recudi curauit I. A. FABRICIVS Hamburgi, 1714.

ſub titulo ἀνάληψις Μωσέως. Longa in eo narratur fabula, acta in Moſis ex hac vita deceſſu a Deo, Michaele, magno Hebraeorum imperatore, שר של ישראל, et a Samäele, angelo mortis ac diabolorum principe, ראש כל השטנים, qui ingenti narratur flagraſſe cupiditate animam Moſi eripiendi. Prolixum primo Dei cum Moſe colloquium narratur, in quo Moſes cum mortem ſibi inſtare a Deo audiuiſſet, hoc triſti nuntio tantopere animo percellitur, vt prae nimio, quo mortem reformidabat, metu querelas effundat pueriles et precibus a Deo contendat impenſiſſimis, vt Deus vitam, in his terris agendam, eousque ſibi prorogare velit, donec cum gente ſua Palaeſtinae regionem intrauerit. Quibus quidem precibus cum Deus non annueret, petiit tantum hoc, vt terra promiſſa oculis ſuis exhiberetur conſpicienda; cui voto Deus ita indulget, vt octoginta telluris milliaria per virtutem ſuam ita contraheret, vt hanc vniuerſam regionem inſtar pictae tabulae oculis eius offerret perluſtrandam. Interea Samäelem, mortis angelum, qui tempus cupide expetebat, quo Moſi vitam adimere poſſet, Michael, gentis Iſraelitarum patronus, in lacrymas effuſus, increpat ſic: Improbe, quid rides, dum ego lacrymas fundo? Iubet deinde Gabrieli ac Michaeli Deus, vt necem inferant Moſi; quod cum illi propter ſummam viri ſanctitatem detrectarent, Samäeli, vt hoc faceret, mandat. Laetus igitur hic confeſtim ſtricto gladio in Moſen irruit, ſed radiis flammisque, ab eius oculis vultuque exeuntibus, perterritus ab eius caede abſtinet. Deus vero iratus eum denuo, minis increpatum, ad Moſen interimendum mittit, in quem cum rurſus Samael gladio impetum faceret, ad leuiſſimum virgae, quam Moſes in manu tenebat, motum tergum vertere ac fuga ſalutem petere coepit. Itaque Deus ipſe

 deſcen-

descendit ac Mosi, quem Samael vita priuare non poterat, animam obosculando [n]) exhausit. Querelae denique, in Mosis funere exortae, enarrantur non tantum angelorum, sed etiam solis, lunae, planetarum ac Spiritus S., qui omnes mortem viri sanctissimi lacrymis et comploratu prosecuti sunt.

Haec est summa eorum, quae in vtroque libro fabuloso de Mosis obitu narrantur. Sed quoniam in hac fabula Michael diabolo lapsum Adami non exprobrat, quod habet Origenes, nec verba Michaelis, a Iuda laudata, ibi comparent, sed potius dicta contraria Michaeli tribuuntur, qui aduersarium appellat רשע *scelestum*, credibile sit, librum ἀναλήψεως Μωσέως, vnde Origenes historiam, a Iuda narratam, depromtam asserit, pridem intercidisse; cuius quidem historiae, ad quam Apostolus alludit, ignoratio, loci explicationem nostro tempore reddit difficillimam. Hinc paucis tantum exponam, quid ipse de hoc loco, qui merito inter δυσνόητα Scripturae loca numeratur, sentiam. Verba, περὶ τοῦ Μωσέως σώματος, quae interpretum animos omni tempore distraxerunt, simplicissime *de Mose ipso* intelligo, posita περιφραστικῶς, ita vt σῶμα, vt saepe in N. T., accipiendum sit in abundantia. Hic vsus vocabuli σώματος non tantum reperitur apud scriptores S., v. c. *Rom.* VI, 6. σῶμα ἁμαρτίας, *peccatum*, C. XII, 1. τὰ σώματα ὑμῶν, *vosmet ipsos*, *Eph.* V, 28. sed obtinet etiam apud elegantiores scriptores graecos, qui dicere solent ποταμοῦ σῶμα, ἀνέμου σῶμα, σῶμα τοῦ λόγου pro *fluuio*, *vento*, *oratione.* [o])

Qua

[n]) En lepidam explicationem verborum על פי יהוה *Deut.* XXXIV, 5. quae fabulator Iudaicus intellexit sic: mortuus est Moses *in osculo Dei.*

[o]) Exempla suppeditat VECHNER *in Hellenolexia* L. II. c. 8.

Qua de cauſa vero lis mota fuerit ſuper Moſe a Satana, num de libris ab eo ſcriptis, an de gente ac republica Iudaica, de vita ipſi eripienda, de corporis eius ſepultura, vel quacunque alia de cauſa, id quidem perſcrutari atque diſcutere tam parum curo, vt potius curioſam huius rei diſquiſitionem exiſtimem referendam eſſe inter quaeſtiunculas inutiles ac inſipientes, quas, vtpote rixae ac diſſidii fontem largiſſimum, Apoſtolus omni ſtudio in cauſa religionis monet eſſe cauendas, 2 *Timoth.* II, 23. *Tit.* III, 9. Quid enim profuerit, operam curioſius impendere huic rei e tenebris, quibus inuoluta eſt, eruendae, cum nihil eſſe poſſit clarius ac luculentius conſilio, quo mentionem facit Apoſtolus diſceptationis angelicae, adhortandi nimirum exemplo illuſtri Chriſtianos ad modeſtiam, magiſtratibus ſuis religioſe praeſtandam. Haec res, quam exempli cauſa adſperſit, ſiue ficta erat, ex Iudaico ſcripto apocrypho depromta, ſiue vere geſta, nam in neutram partem equidem aliquid decernere mihi ſumo, tamen verbulo tantum eam commemoraſſe ſufficiebat, quippe tunc temporis omnibus inter Iudaeos notam et tantopere communi aſſenſu probatam, vt nulla de eius veritate a quoquam moueretur dubitatio; cui quidem communi omnium aſſenſioni ſine dubio eſt tribuendum, quod Origenes ita de libello Iudaico, ſupra laudato, loquitur, vt diuinam propemodum originem et auctoritatem illi tribuiſſe putandus ſit. Diſputat igitur Iudas h. l. κατ' ἄνθρωπον contra Iudaeos, veluti conceſſis vtens, cuiusmodi ῥήσεις ſaepius in Apoſtolorum ſcriptis occurrere, cum noſtro tempore doctiſſimus quisque et ſponte agnoſcat, et palam profiteri non dubitet, non eſt, vt in exemplis afferendis morer.

Sed quicquid etiam de loco vexatiſſimo ſ
que tibi ex innumeris fere interpretum ſe
ſenſu digna, fabulis Iudaicis caue tantum
ta diſceſſum, veluti ſordibus, inquines, de
exponitur in eius Commentariis, certiſſim
maxima fide dignum, ex quo vnice et res
tum, quod ſubiit die vitae ſupremo, veri
randi metu ſunt cognoſcenda.

VITEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIAN

tiſſimo ſtatueris et qualiſcun-
retum ſententiis viſa fuerit aſ-
tantum, ne Moſis ex hac vi-
uines, de quo quidem quicquid
certiſſimum eſſe memineris et
ce et res ab eo geſtae, et fa-
no, veriſſime ac ſine omni er-

RGAE

RISTIANI DÜRRII.